

defluit, inde ad orientem conversus, sex ostiis in Hadriaticum evolvitur: triginta auctus fluminibus ita invalescit, ut neque Danubio inferior, neque Nilo, a quibusdam sit iudicatus. Amnium, qui se illi insinuant, clarissimi sunt, quos nobilissimi lacus aliunde acceptos cum fœnore transmittunt. A Lario, qui & *Novocomensis* dicitur, Abdiam accipit; a Verbano sive *Majori lacu*, Ticinum; a Benaco, qui & *Gardæ* est, Mincium; a Sebino, aliter *Iseo*, Ollium; ab Eupilis lacubus, quorum alterum *Pucianum*, *Cervianum* alterum vocant, *Lambrum*. Augent illum vehementer præter ipsa flumina liquatæ nives, idque circa canis ortum: nec, quum maxime intumuit, tam navigiis est infestus, quam agris; quo fit ut perpetuo accolarum labore utrinque coerceatur aggeribus, in eo satis vicinis campis æquus, quod nihil ex rapto sibi vendicat. Ab ipso itaque fonte suis lætus incrementis, uno alveo Ficariolum usque defluit, est id oppidum haud multum infra Hostiliam: tum vero nimia aquarum crapula victus, paululum sub illius mœnia luxuriari incipit; atque in duas scissus partes, primam insulam facit: accolæ *Polesinum* vocant, transposita (credo) syllaba, ut quum *Polesinum* dicunt, *Polynesum*, id est longam seu multam insulam, dicere se credant: & quia Ferraria non longe infra ipsum aquarum divortium sedet, *Ferrariensem Polynesum* hanc vulgo nominant. Dexter amnis priusquam urbem attingat, ob pleraque flumina, quæ brevi spatio se illi insinuant, amissas nuper vires pene ex integro reponit: quo fit, ut nova mole pressus, in ipsis oculis civium, non præsentiam, non urbis ædificia veritus, quasi nova seditione turbatus, in duas divisus partes diversus abit: fitque recentiore hoc divortio altera insula, qua Argentia oppidum, qua item Comaclum stagnis circumdatum includitur. Dextera pars fluminis quum Argentinos fines perstrinxit, averfa ripa, qua Janiolum oppidum sedet, ex Forocorneliensi agro Vatreum amnem accipit, nunc accolæ corrupto nomine *Santernum* vocant. Hic quasi omnis incrementi impatiens, non multo post, ubi circa